

59. *Ut compensatio sit licita, requiritur primo, ut debitum sit certum.* — Dicitur notanter in conclusione: « Si debita adsint conditiones. » Ut enim compensatio sit licita, et subsistat, requiritur primo, ut debitum sit certum, l. IV. c. de *Compensat.* et quidem pro foro externo, ac si publice fiat, « ut causa ex qua compensatur, liquida sit, et non raultis ambagibus innodata, sed possit iudici facilem exitum sui præstare. » ut l. XIV § 1. c. de *Compensat.* ubi etiam monentur iudices ut « non proclives ad admittendas compensationes existant. » Ratio est; quia « in dubio melior est conditio possidentis. »

60. *Secundo (loquendo de foro cæterno) ut fiat circa res ejusdem generis.* — Secundo requiritur pro foro externo, ut fiat compensatio circa res in eodem genere fungibiles: quare valet quidem, si per compensationem pecuniæ pro debito pecuniario, frumentum pro frumento, oleum pro oleo surripiatur: non item, si pecunia pro equo, aut equus pro bove, etc. Abbas, in c. *Bona fides.* n. 12. de *Compensat.*; Molina, disp. 61. n. 1; Layman, loc. cit. n. 9; Engel, loc. cit. n. 13, et alii. Ratio est, tum quia l. II. § 1. ff. de *Rebus credit.* « Aliud pro alio, invito creditori solvi non potest: » tum quia diversæ sunt æstimationis; transiretque talis compensatio in novum contractum emptionis, vel permutationis; qualem inire invitatus regulariter nemo tenetur, juxta superius dicta. Potest nihilominus in hoc casu res aliena diversi generis pro alia re debita retineri. Engel, loc. cit. arg. l. *Si non sortem.* 26. § 4. ff. de *Condict. indebit.*

61. *Tertio, ut ordinaria via obtineri facile nequeat.* — Tertio requiritur, ut alia convenientiori, et ordinaria via debitum facile obtineri non possit. Glossa, in can. *Jus gentium*, 9. dist. 1. §. *Sedism.* Layman, loc. cit. n. 9. arg. l. un. c. *Ne quis in sua causa.* ibi: « Generali lege decernimus neminem sibi esse judicem, aut jus sibi dicere debere. » Molina, disp. 691. n. 1.

62. *In foro externo quorundam debitorum compensatio non datur. Et quorum?* — Porro pro foro externo sunt quædam debita excepta, ita ut in illis pro foro externo compensatio non valeat, emansi sint ejusdem generis, et alia via obtineri nequeant. Veluti si quis reipublicæ ex causa vectigalis, vel tributi debet, l. III. de *Compensat.* Item si quis debet ex furto, rapina, spolio, fraude etc. l. fin. § 2. c. de *Compensat.* ibi: « Possessionem

autem alienam perperam occupantibus compensatio non datur. » Rursus si quis debet ex deposito, c. fin. de *Deposito.* ibi: « Sane depositori licuit pro voluntate sua depositum revocare, contra quod compensationi, vel deductioni locus non fuit. » Ubi per ly « deductioni » compensatio ex parte intelligitur. Glossa, in cit. c. fin. §. *Contra quod.* quæ fit, dum debita sunt juxta dicta superius n. 58.

63. *Inter hæc etiam est debitum ex commo dato.* — Utrum autem in foro externo etiam in commo dato compensatio valeat, necne, controversum est inter doctores. Sylvester siquidem §. *Compensatio.* Abbas, in cit. c. fin. de *Deposito.* n. 12. citans communem, affirmativam tenet; Engel, vero h. t. n. 13; Lessius, lib. II. cap. xxvii. n. 16. et alii negativam tuentur, quibus et nos adharemus ob juris textum revera satis clarum l. fin. c. de *Commodat.* ibi: « Prætextu debiti, restitutio commodati non probabiliter recusatur. »

64. *Pro foro interno licita est compensatio occulta in quovis debito, etiam circa res alterius ejusdem generis, haberi nequit compensans: simulque debitum sit certum, et ordinaria via obtineri nequeat.* — Verum pro foro interno conscientia hæc debitorum exceptio locum non habet; sed potest etiam fieri compensatio occulta, ita ut rem quamcunque creditoris etiam alterius generis in æquivalenti (si ejusdem generis haberi non potest) vel occulte surripere, vel, si jam habet (uti fit in deposito, commo dato, re per furtum vel fraudem acquisita, etc.) retinere debitor valeat; dummodo debitum sit certum; etsi illud probare nequeat; (uti pro foro externo requiritur l. XIV. § 1. de *Compensat.*) et debitor rem suam ordinaria via acquirere commode nequeat. Ita doctores n. 57. citati cum communissima aliorum, ob rationem ibidem citatam.

65. *Monitio doctorum ad occulte compensationem.* — Monent tamen plerique, ut Molina, Layman, loc. cit. Abbas, in c. *Sicut.* 29. n. 13. debitorem occulte compensantem, ut omni possibili modo vigilet, ac laboret, ne creditor vel hæres, ipsi debitori, vel hæredibus illius denuo solvant, aut ex erronea conscientia peccatum committant, omittendo solutionem, ad quam adhuc se obligatos existimant. Item attendat, monent, ne det scandalum, aut se ipsum infamet, ac tanquam alienæ rei invasor, vel fur in foro externo habitus puniatur: sic enim per accidens

etiam in foro interno peccatum committeret.

66. *De occulta compensatione famulorum, et aliorum servitium. Remissive.* — De occulta compensatione famulorum, et aliorum servitium, etc. dictum est supra tit. XVIII. de *Locatione et conducto.* § 4. n. 105.

### § III.

DE ORDINE INTER CREDITORES IN SOLVENDIS DEBITIS SERVANDO, DUM DEBITOR NIMIS OBÆRATUS MORITUR, AUT CREDIT BONIS: UBI ETIAM DE CONDICTIONE INDEBITI.

67. *Conditio indebiti definitur.* — Quæritur I. Quid sit conditio indebiti, et quando locum habeat? Resp. Conditio est actio personalis, quam quisque habet contra eum, cui indebitum, hoc est, aliquid quod ei non debebat, per errorem solvit. Ita in re communis doctorum arg. tot. tit. ff. et c. de *Conditione indebiti.* Declaratur definitio exemplo, v. g. si quis non amplius recordans, aut ignorans, a se, vel uxore, aut œconomo suo debitum aliquod creditori jam esse solutum, denuo solvat, potest dein, id rescians, ita solutum tanquam indebitum condicere, id est, actione instituta repetere; si aliter reddere nolit creditor. Idem est, si quis ex ignorantia putet se de jure quid debere alicui, illudque solvat, quia, uti n. 72. dicemus, datur conditio indebiti, non tantum, si solutio per errorem facti, sed et si per errorem juris facta est.

68. *Indebitum ac debitum triplex.* — Pro secunda quæstionis parte prænotandum cum Glossa, in c. fin. h. t. §. *Indebitum.* Abbate, in idem. n. 4, 7 et 8, h. t. et aliis: sicut debitum, ita indebitum varium, præsertim vero triplex dati. Primo enim datur indebitum jure tam naturali quam civili, id est, quod nec jure naturali, nec civili debetur; secundo datur indebitum jure naturali tantum, jure civili vero debitum; tertio datur indebitum solo jure civili, naturali jure vero debitum. Si ex nudo pacto oritur obligatio, et debitum. Si de jure naturali; quod tamen de jure civili est indebitum. *Juris gentium.* 7. § 4. *Sed cum nulla. ff. de Pactis.* Hoc notato.

69. *Qui utroque jure indebitum per errorem solvit, repetere potest.* — Resp. I. Qui utroque jure indebitum, id est, quod nec jure naturali, nec civili debuit, per errorem solvit, solutum condicere, ac repetere potest. Com-

munis ac certa, tot. tit. ff. et c. de *Conditione indebiti.* Ratio est, « quia natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiore. » l. *Nam hoc.* 14. ff. de *Condictio indebiti.* Hoc autem inique fieret si utroque jure indebitum solutum repeti non potest.

70. *Solvens debitum jure civili, naturali vero indebitum, repetere potest.* — Resp. II. Qui per errorem solvit indebitum jure naturali, debito vero jure civili, solutum pariter condicere, seu repetere potest. Glossa, loc. cit. Abbas, in c. fin. h. t. n. 14; Pirhing, eod. n. 32. et alii, arg. l. *Si non sortem.* 26. § *Indebitum.* 3. ff. de *Condictio indebiti.* Ratio est, quia qui per errorem solvit, certat de damno vitando, is vero, qui solutum accepit, de lucro captando; in quo casu, nec juris ignorantia nocet, l. *Error.* 8. ff. de *Jur. et fact. ignorant.* ibi: « Cæterum omnibus juris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet. »

71. *Pariter repetere quis potest solutum per ignorantiam facti, indebitum jure civili; et debitum jure naturali; dummodo ignorantia crassa et supina non sit.* — Resp. III. Quando quis id, quod jure naturali tantum, non item civili debet, per ignorantiam facti solvit, condicere ac repetere solutum potest. Glossa, in cit. c. fin., h. t. §. *Indebitum.* Abbas, in idem. n. 12, arg. l. *Error.* 8. ff. de *Jur. et fact. ignorant.* ibi: « Error facti ne maribus quidem in damnis vel compendiis obest. » Dummodo supina, crassa, aut affectata non sit, l. *Nec supina.* 6. ff. eod. ibi: « Nec supina ignorantia ferenda est factum ignorantis. » Ratio ibidem assignatur; quia hujusmodi ignorantia pro scientia habetur; ubi autem quis scit se jure naturali quid debere, haud dubie solvere, aut solutam jam relinquere tenetur; etsi jure civili ad id non teneatur, eo quod ignorantia talis non excuset, c. *Apostolicæ.* 9. de *Cleric. excommun. minist.* et c. II. de *Constit.* in 6. Abbas, loc. cit. et communis.

72. *Universaliter et absolute loquendo, sive per juris, sive per facti ignorantiam indebitum quis solvat, repetere potest. De ignorantia juris plena.* — Resp. IV. Præcedentes conclusiones procedunt ita, ut indebitum solutum repetere quis possit, sive per ignorantiam juris, sive facti solverit. Calvinus, §. *Conditio indebiti,* ubi citat alios. Quoad primam et secundam conclusionem tenent etiam Abbas, in cit. c. fin., n. 11 et 14, h. t.; Glossa in idem §. *Indebitum.* Pirhing et alii. Quoad



terham vero iidem, Abbas quidem loc. cit. n. 12; Pirhing. vero loc. cit. n. 33; Glossa, loc. cit. dissentiunt, arg. l. I. et seqq. ff. de *Jur. et fact. ignorant.* ubi expresse ac repetitis vicibus habetur, quod juris ignorantia non prosit, adeo ut l. *Regula*. 9. prin. ff. eod. pro regula ponatur. « Regula est juris quidem ignorantiam cuique nocere, facti vero ignorantiam non nocere. » Accedit in qua se principaliter fundant adversarii, l. *Cum quis*. 10. c. eod. quæ ad propositum loquens sic habet. « Cum quis jus ignorans, indebitam pecuniam solverit, cessat repetitio: per ignorantiam enim facti tantum repetitionem indebiti soluti competere, tibi notum est. »

73. *Probatur est confirmatur conclusio ex iure.* — Probatur autem nostra doctrina universaliter de omnibus tribus conclusionibus. *Condictio indebiti* introducta est ex æquitate naturali, l. *In summa*. 65. § *Quod ob rem*. 4. et l. seq. ff. de *Condition. indebiti*, atqui eadem est ratio æquitatis naturalis repetendi seu condicendi, sive per juris, sive per facti errorem solvatur indebitum: cum jure naturæ revera iniquum ac injustum sit, ut is, qui indebitum accepit, cum alterius jactura locupletetur, l. *Nam hoc*. 14. ff. eod. ac reg. 206. de *Reg. jur.* ibi: « Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento et injuriæ fieri locupletior; » consequenter si quis ostendere potest, se ex errore sive facti sive juris solvisse quod non debuit, accipiens restituere debet; alias certe injuste retinet alienum, et facit injuriam solventi; consequenter cum illius detrimento ac injuria contra jus naturæ locupletior fit. Confirmatur; Universaliter et absolute loquendo, juris error aut ignorantia illi, qui agit de damno amittendæ rei suæ, non nocet, l. VIII. ff. de *Juris et facti ignorant.*

74. *Solvantur leges in contrarium citatæ.* — Leges in contrarium allegatæ, si quid probarent, nimium probarent: probarent enim contra ipsos adversarios, videlicet, quod solum indebitum per ignorantiam juris etiam in casibus primæ et secundæ conclusionis non prodesset, nec conditionem admitteret; cum citatæ leges universaliter ac indistincte loquantur, juris ignorantiam non prodesset, et hac ignorantia solum indebitum repeti non posse, uti legenti patet. « Ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, » juxta vulgatum juristarum axioma, quod habetur in Summario l. de *Pretio*. ff. de *Publician. in rem act.* Et verba generalia

generaliter sint intelligenda c. *Quia circa*. 22. de *Privileg.*

75. Hinc ad leges ex ff. tit. de *Condition. indebit.* citatas respondetur, ab iis exceptam esse juris ignorantiam in casu conditionis indebiti, hoc ipso, quod in pluribus legibus ff. et c. de *Condition. indebit.* absolute et indistincte statuat, per errorem, seu ignorantiam solum indebitum condici, ac repeti posse.

76. Ad l. X. c. eod. respondetur, eam loqui de casu particulari, in quo solvens forsitan supinam habuit ignorantiam juris, quæ hoc ipso, quod æquiparetur scientiæ, l. *Non supina*. 6. ff. de *Jur. et fact. ignorant.* et is, qui scienter indebitum solvit, repetere non possit juxta dicenda inferius n. seqq. bene in hoc sensu loquitur dicta l. X. c. de *Condict. indebit.* Favet etiam l. *Regula*. 9. § 3. ff. de *Jur. et fact. ignorant.* ibi: « Sed juris ignorantiam non prodesset, Labeo ita accipiendum existimat, si jurisconsulti copiam haberet, vel sua prudentia instructus sit, ut cui facile sit scire, ei detrimento sit juris ignorantia; » utpote in simili casu supina seu crassa.

77. *Qui sciens indebitum solvit, repetere non potest: secus est, de eo, qui mente dubia et titubante solvit.* — Resp. V. Qui scit se non debere, et tamen solvit, non potest solum condicere vel repetere. l. I. ff. de *Condict. indebit.* ibi: « Si sciens se non debere, solvit, cessat repetitio. » Idem habetur, l. *Si non sortem*. 26. § 5. ff. eod. Ratio est, quia talis præsumitur donare: Nam « cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est. » l. *Cujus*. 53. ff. de *Reg. jur.* Nec refert, si hac mente dedit, quod velit iterum repetere, l. *Quod quis*. 50. ff. de *Conradiction indebit.* ibi: « Quod quis sciens indebitum dedit hac mente, ut postea repeteret, repetere non potest. » Secus foret, si animo dubio; incerto, aut titubante solvit, l. fin. c. eod. Quia ut dicitur reg. 44. ff. de *Reg. jur.* « In re obscura melius est favere repetitioni, quam adventitio lucro. »

78. *Asserens, se indebitum solvisse, probare debet: nisi solum accipiens inique negaret, se aliquid recepisse.* — Resp. VI. Qui conditionem intentat, et dicit, se indebitum solvisse, probare debet, quod fuerit indebitum; nisi adversarius negaret, se a condicente solutionem accepisse: tunc enim si de solutione accepta convincatur, ipse probare debet, id, quod solum accepit, sibi revera debitum

fuisse. Ita expresse habetur c. fin. h. t. ac c. l. *Cum de indebito*. 25. ff. de *Probat.* Ratio primæ partis est, quia præsumptio stat contra solventem, cit. l. *Cum de indebito*. « Qui enim solvit, ut ibidem habetur, nunquam ita resupinus est, ut facile suas pecunias jactet, et indebitas effundat. » Ratio secundæ partis est; quia hoc ipso, quod inique negans vincatur de mendacio, stat præsumptio contra ipsum, quod causam iniquam foveat, ut proin eidem non immerito imponatur onus probandi, id, quod solum accepit, sibi debitum fuisse, cit. l. *Cum de indebito*. et c. fin. h. t. Licet enim alias actori incumbat probatio, nihilominus si præsumptio stat contra reum in eundem onus probandi rejicitur; ubi bene advertit Glossa, fin. ad cit. c. fin. h. t. arg. l. *Sive possidetis*. 16. c. de *Probat.*

79. *Deficientibus ad cuncta debita solvenda mediis sequens ordo servari debet, ut primo solvantur, seu restituantur res alienæ apud debitorem existentes.* — Quæritur II. Quo ordine solutio faciendâ sit, seu cui ex creditoribus solutio prius præstanda, vel restitutio faciendâ sit, casu quo debitoris media non amplius sufficiunt ad cuncta debita solvenda, aut debitor moriatur, aut cedat bonis? Resp. sequentem ordinem servari debere. Primo omnium solvendi, ac cæteris cunctis præferendi sunt illi, qui res sibi proprias apud debitorem existentes habent: quales sunt, qui apud debitorem aliqua deposuerunt, vel ei commodarunt; vel si quæ ab eis furto ablata, etc. apud debitorem existant; hæc enim ante omnia dominis suis restituenda veniunt. Molina, disp. 536, n. 29. cum communi l. *Deposui*. 38. ff. de *Pecul. l. Procuratoris*. 5. § *Sed si dedi*. 18. ff. de *Tribut. act. l. Cum fundus*. 31. ff. de *Rebus credit.* Ratio est, quia solutio fieri debet de propriis bonis debitoris, consequenter res alienæ prius dominis suis restitui debent, nec de illis solvi potest aliis creditoribus.

80. *Secundo sumptus judiciales.* — Secundo solvendi veniunt sumptus judiciales, si quos forsitan ratione processus edictalis, vel inventarii, etc. vel solutionis de bonis relictis ab ipso judice creditoribus præstitæ fieri contingunt. Azorius, in *Summa aurea*. lib. III. c. *Rubr. de sport. et sump.*; Burglacher, de *Privileg. credit.*; Rhaat, in *Dissertat. jurid. ad process. edict.*, thesi 11. Quamvis enim id ex jure per textum aliquem probari non possit; ratio tamen et æquitas naturalis dicit, ut cum judices pro utilitate creditorum labo-

rent, labores eorum dignam remunerationem recipiant. Idem decernitur in statut. Bav. in *Process. edict.* ar. 2.

81. *Tertio impensæ funebres, ac illi creditores, qui ad has interea aliquid subministrarunt.* — Tertio loco etiam ante creditores hypothecarios solvendi veniunt sumptus funebres seu funeralia. Garcias, de *Expens. et meliorat.* cap. VIII. n. 18 et 25; Neguzant, de *Pignor.* p. V. memb. 2. l. XVIII. l. XIX. l. *Impensa*. 45. ff. de *Relig. et sumpt. fun.* ibi: « Impensa funeris semper ex hæreditate deducitur, quæ etiam omne creditum solet præcedere; cum bona solvendo non sint. » Ratio est publica utilitas, ne cadavera maneant insepulta. Ob quam rationem, prælationis privilegio gaudet etiam ille, qui interea ad funerandum media subministravit, Molina, loc. cit. n. 32; Garcias, loc. cit. num. 25; Rhaat, loc. cit. thesi 30. Sumptus funeris dicuntur, « quidquid ratione corporis erogandum est, » l. XXXVII. de *Reg. et sumpt. fun.* ubi res amplius declaratur. Debent autem impensæ funeris non excessive cum detrimento creditorum, sed moderate fieri juxta statum defuncti, et consuetudinem loci, uti communiter notant doctores.

82. *Item illi, qui ad insinuationem testamenti, vel confectionem inventarii, etc., aliquid subministrarunt.* — Ad hunc locum, referuntur ii creditores, qui aliquid in « testamenti insinuationem, vel inventarii confectionem, vel in alias necessarias causas hæreditatis probaverint, sese persolvisse: » uti verbis formalibus statuitur l. fin. § 9. c. de *Jure delib.* Molina, loc. cit. n. 32. et alii.

83. *Quarto debita contracta apud pharmacopæum, medicos, chirurgos.* — Ad eundem locum, vel potius quarto loco solvenda veniunt debita tempore infirmitatis ultimæ, apud pharmacopæum, medicos, et chirurgos contracta, Surdus, dec. 253. n. 26; Rhaat, loc. cit. thes. 33. et doctores communiter. arg. l. *In restituenda*. 4. c. de *Petit. hered.* ac l. III. c. de *Relig. et sumpt. fun.* Ratio est, ne alias medicinæ et medicorum defectu, infirmi debitis obæratî necessario mori debeant; cum pharmacopæus, medici et chirurgi rationabiliter prævidens, ac solvendo non esse, vel sine mercede debita laboratorios, auxilium, et remedia negarent.

84. *Tempore infirmitatis ultimæ non item prius contracta.* — Dicitur notanter « tempore infirmitatis ultimæ; quia, uti communiter notant doctores impensas pharmacopæorum,



medicorum, etc. quæ ab antiquo restant prælationis privilegio non gaudere. Ratio est, tum quia sibi imputare debent, quod satisfactionem sibi debitam non prius exegerint; tum ne patrimonium cum detrimento aliorum creditorum nimium exauriatur; tum etiam, ut addit Berlich, l. I. concl. 64. n. 98. ne tribuatur eis occasio, ægroti necem procurandi, ex eo, quod videant, se a creditore, ære alieno nimium gravato, debita obtinere aliter haud amplius posse.

85. *Quid ad reficiendam, conservandam, ædificandam, vel emendam rem mutuo dant.* — Quinto veniunt, qui ad reparationem vel conservationem alicujus domus, vel alterius ædificii pecunias, vel materialia dedit. l. *Creditor*. 25. ff. *de Rebus credit. et si cert. petat*. l. *Interdum*. 5. *Qui potior in Pignor.*; Mynsing., cent. 1. observ. 8., n. 7. et alii. Ratio datur l. *Hujus*. 6. ff. *Qui potiores in pignor*. quia ita mutuans « pecunia sua salvam fecit totius pignoris causam. » Ad eundem locum pertinent, qui ad emendam, vel ædificandam noviter domum vel aliud ædificium mutuas dederunt pecunias, hac tamen cum distinctione, ut dum ita mutuo dans privilegio hoc gaudere vult, sibi simul rem, ad quam emendam, vel ædificandam mutuas dat pecunias, sibi pro expressa hypotheca paciscendo statim reservet, textu claro l. *Quamvis*. 17. c. *Pign. et hypoth.* et l. *Licet*. 7. ff. *Qui potiores in pign.*

86. *Quinto uxores quoad allatam dotem: præferuntur hypothecariis creditoribus, et quando?* — Sexto loco collocantur uxores quoad dotem allatam; quia uxores pro hac tacitam hypothecam, et jus prælationis ante reliquos creditores actione personali gaudentes, habent. Ita expresse habetur l. *Assiduis*. 12. c. *Qui potiores in pign.* juncta l. un. c. *de Rei uxor. act.* Præferuntur etiam hypothecariis creditoribus, casu quo hypotheca primum post matrimonium, et dotem allatam, non item si antea constituta est; uti cum communi aliorum bene docet Gailus, l. II. observ. 25. n. 10; Zoes., in § *Fuerat*. n. 22. § 29. *Instit. de Action.* ubi dicit hanc sententiam esse verissimam, eamque tenet Glossa, in cit. l. *Assiduis*. §. *Licet anteriores*.

87. *Quoad dotem promissam, et nondum solutam nullo gaudent privilegio.* — Dicitur notanter, « quoad dotem actu jam allatam; » quia quoad dotem tantum promissam per cautam, item confessam a marito, quasi data jam esset; cum data et numerata non

sit, communis tenet uxorem nullo gaudere prælationis privilegio; prout videre est apud Gailum, lib. II. observ. 81. per totum, ubi etiam testatur hanc esse in Camera approbatam opinionem. Ratio est, tum quia « dotem numeratio, non scriptura facit; et ideo non ignoras ita demum ad petitionem dotis admitti posse, si dotem a te re ipsa datam probatura es. » Concordat. l. *Si ex cautione*. 3. c. *De non numerat. pecun.*

88. *Sexto, pupilli, minores, ac reliqui curatorem habentes: item loca, et causæ piæ quoad bona suorum tutorum, curatorum, et administratorum.* — Septimus locus competit pupillis, et minoribus, atque aliis curatorem habentibus; ut sunt prodigi, amentes, etc. item causis piis respectu bonorum, tutorum, curatorum, administratorum, etc. utpote in quæ tacitam hypothecam, ac ideo jus prælationis præ cæteris, etiam anterioribus chirographariis creditoribus, et posterioribus hypothecariis, non item anterioribus hypothecariis, habent, sicut supra de uxore dictum. De pupillis, minoribus, prodigis, res in jure certa est, per l. IV. § 1. *de Privileg. credit.* ac l. fin. *de Tit. ac ration. distrah.*, cum concordantiis. De causis piis controversia est inter doctores, uti videre est apud Berlich, lib. I. concl. 67, n. 47, et seqq. tamen quia gaudent jure minorum, eisdem hoc privilegium denegandum non est.

89. *Septimo, fiscus quoad bona eorum, qui cum illo contraxerunt, vel bona illius administrarunt.* — Octavum locum possidet fiscus in bonis eorum, qui cum eo contraxerunt, vel administrationem rerum ad fiscum pertinentium habuerunt; quia fiscus in horum bonis tacitum pignus habet; Nam « Certum est ejus, qui cum fisco contrahit, bona veluti pignoris titulo obligari, quamvis specialiter id non exprimat, » l. II. c. *In quibus caus. Pign. tacit.* ac l. *Aufertur*. 46. § ff. *de Jure fisci*, cum concordantiis. Et hinc non tantum anterioribus creditoribus chirographariis, sed etiam posterioribus hypothecariis non item anterioribus præferuntur.

90. *Octavo, creditores, hypothecarii expressam hypothecam credentes.* — Nono loco ponuntur creditores, qui habent hypothecam expressam, hi enim quoad bona hypothecata vel oppignorata præferuntur reliquis supra non recensitis, qui solam actionem personalem habent l. *Eos*. 9. c. *Qui potiores in pign.* ibi: « Qui acceperunt pignora, eam in rem actionem habeant, privilegiis omnibus, quæ

personalibus actionibus competunt, præferri constat. » l. *Si pignus*. 8. ff. *Qui potiores in pign.* cum concordantiis. Molina, loc. cit. n. 33. Quinam autem ordo sit observandus inter ipsos hypothecarios expressos, superius tit. XXI. *de Pignor.* n. 78. et seqq. dictum est.

91. *Quibus etiam comparantur provisi tacita hypotheca.* — Huc reducunt Faber *de Errorib.* pragmat. decad. 6. *Error*. 3; Rhaat, assert. 99. per totum, et alii etiam illos creditores, qui tacitam hypothecam habent. Ratio eorum est, quia cum tacita hypotheca æque, ac expressa rem efficiat, l. *Si quis*. 8. c. *de Secund. nupt.* nec appareat ratio, cur hypotheca constituta ab homine sit majoris virtutis, ac constituta per legem, merito hypotheca tacita ejusdem efficacitæ cum expressa quoad propositum habetur, l. II. et IV. c. *Qui potiores in pignor.*

92. *Nono, creditores chirographarii: qualis ordo inter ipsos?* — Tandem veniunt creditores personales, seu chirographarii nullum jus prælationis habentes; quorum de jure communi nullus præferitur alteri, etsi aliquorum potiores sint tempore, et antiquiorem prætensionem habeant; ut proin in his juris regula 54. *de Reg. jur.* in 6, « Qui prior est tempore, potior et jure, » non attendatur; sed si media non sufficiant, singulis debita solvantur pro rata, ita ut qualis est proportio debiti ad debitum, quoad quantitatem, talis sit proportio ejus, quod quisque accipit, ad id, quod alii accipiunt, Molina, disp. 536, n. 41; Gailus, observ. 25, n. 13. ac alii, arg. l. *Privilegia*. ff. *de Privileg. credit.* l. *Si hominem*. 7. § fin. ff. *Deposit.* ac l. *Pro debito*. 6. c. *de Bon. auth. jud. poss.* ibi: « Æquali portione pro rata debiti quantitate omnibus creditoribus consuli potest. »

93. *Ordo de jure Bavarico præscriptus.* — De jure Bavarico in processu edictali, *Gand.* Processu sequens in solvendis creditoribus, casu quo debitor cedit bonis, servatur ordo a jure communi haud multum difformis, et de reliquo æquitati summe consentaneus, uti legenti articulos patet, in quos late illustrissimus dominus Schmidt. Primo loco ponuntur sumptus judiciales; 2. impensæ funerales, cui æquiparantur expensæ in pharmacopeum, medicos, et chirurgos; 3. merces operariorum et famulitii domestici; 4. qui ad reparandam, conservandam, ædificandam, emendam domum, etc., materialia, vel mutuas pecunias dederunt; 5. uxor ratione

dati; 6. pupilli, minores, et aliæ causæ piæ; 7. fiscus; 8. creditores hypothecarii; 9. chirographarii habentes confecta instrumenta coram notario, et testibus; 10. qui solum personale privilegium habent, ut chirographariis simplicibus præferantur. De quibus vide in fonte, et ibi illustrissimum dominum Schmidt.

## TITULUS XXIV.

## De Donationibus.

1. *Ratio ordinis.* — Actum est in præcedentibus, de quibusdam contractibus onerosis, ex utraque parte obligationem inducentibus, videlicet de Emptione, Venditione, Locato, Conducto, Permutatione, etc. agitur nunc de nonnullis contractibus gratuitis, inter quos principalis est donatio. De qua sit

## § I.

DE NATURA AC DIVISIONE DONATIONIS: ITEM DE REQUISITIS AD EAM, ET EFFECTU EJUSDEM.

2. *Donationis definitio.* — Quæritur I. Quid sit donatio? Resp. Donatio, dicta a dono, quasi dono datum l. *Senatus*. 35. § 1. ff. *de Mort. cau. donat.* est rei licitæ (id est donari non prohibitæ) nullo jure cogente, ex mera liberalitate facta collatio, seu datio, arg. l. *Donari*. 82. ff. *de Reg. jur.* ibi: « Donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur. » Convenit cum dicta definitione etiam definitio, quam dat doctor subtilis in 4. dist. 15. q. 2. § *Secundo potest.* dicendo: « Donatio est datio rei mere liberalis. » Explicatur definitio. Dicitur « rei licitæ; » quia, ut bene notat Abbas, ad *Rub. h. t. rei illicitæ donatio*, sicut et venditio nulla est. l. *Quod sæpe*. 35. § *Veneri mali*. 2. ff. *de Contract. empt.* unde donans ad eam tradendam compelli non potest.

3. *Debet esse mere liberalis: hinc remuneratoria donatio proprietatis non est.* — Dicitur « nullo jure cogente, » videlicet nec naturali, nec humano: per quæ verba donatione proprie sumpta excluditur donatio remuneratoria, quæ fit ex causa et debito gratitudinis ob præcedentia aliqua merita donatarii: licet enim ex hac nulla detur actio, aut jus exi-